

DE MORTE.

Si octauum signum fuerit fortunatum, & dominus eius in exaltatione, natus morietur in diuitijs & morte famosa.

Si Saturnus, Mars, & Caput draconis Lunæ in ascendente, Venus, Mercurius & Cauda in septima fuerint, natus in frustra diuidetur.

Si Mars & Luna in decima fuerint, mulier in partu morietur, nec puer exibit uiuus.

Adunatio planetarum in septima, significat natum mori modo miraculoso.

Mirabile quippiam eueniet de significatis cuiuscunq; domus, in qua multi planetæ coniunguntur.

Si dominus ascendentis applicat domino octauæ, natus erit occasio suæ mortis. Et si seperatur ab eo multum timebit mortem.

Cum idem planeta fuerit dominus ascendentis, & dominus octauæ, natus erit causa suæ mortis, posito quòd alter eorum esset Almuten mortis, unde si dictus planeta dominus utriusq; fuerit bene dispositus, & in gradu octauæ non fuerit infortunata coniunctione uel aspectu, significat quòd natus quasi suauis modo, erit causa suæ mortis, secundum conditionem & dispositionem dicti planetæ domini utriusq;. Si autem dictus planeta fuerit infortunatus, & in gradu octauæ non fuerit fortuna, natus occidet se modo extraneo & turpi, & hoc secundum qualitatem mortis quam decreuerit mala dispositio dicti significatoris infortunati.

Si Aries ascendens alicuius fuerit, natus erit causa suæ necis. Quòd si tunc Mars fuerit bene dispositus, & fuerit pars fortunæ in octaua, erit fortunatus in his quæ significantur per octauam domum.

Libra ascendens alicuius, significat similiter, quòd natus erit causa propriæ necis. Quòd si tunc Venus fuerit bene disposita, uel fuerit pars fortunæ in octaua, significat quòd erit fortunatus in his quæ per octauam significantur domum.

Dominus octauæ in octaua, mortem suauem demonstrat, si non sint infortunantes.

Dominus ascendentis si applicuerit infortunantibus in quarta, nemo sciet mortem talis nati. Et si fuerit in signo aqueo, & Saturnus infortunauerit eum, suffocabitur, & eius corpus non inuenietur.

Gradus quartæ domus, significat quòd futurum est post mortem de cadauere uidelicet si suspendetur, aut frustatim mandetur &c. Si gradus quartæ domus fuerit fortunatus, sepelietur cadauer. Si dominus eius fuerit Mercurius, cadens, infortunatus, auferentur furtim uestimenta eius post mortem.

Vix aut nunquam morietur mala morte, qui in octaua domo habuerit fortunam.

Qui habet in nona fortunas dominatrices fortes, non aspicientes ascendens, erit contemptus in uita, famosam tamen habebit mortem, & forsitan post mortem canonisabitur.

Exemplum